



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Clara Virgo Indica. 3. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

humiliter cum Maria magnificante; de proximo laudabiliter cum Elisabetha benedicente; de Deo admirabiliter cum Zacharia Sacerdote prophetante. *Sic in singulis Maria anima, ut magnificet Dominum; sic in singulis Spiritus Maria ut exultet in Deo.* S. Ambr. lib. 2. Comm. in Lucam.

S. CLARA Virgo Indica

3. Julii.

Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. v. 5.

INter raros novi orbis fructus etiam Virginitas est, quam in S. CLARA Indica merito Europæ puellæ admirentur & æmulentur. Unica hæc Indorum Regis filia erat, cujus indole & forma captus vicinorum regum aliquis, non dispari connubio sibi eam desponsari petiit à Rege Virginis Patre: cujus, cum idem votum esset, facile assensit; at filia omnes deprecata nuptias effugit, Virginitatem à se jam Deo promissam obtinens: quin, ut patris declinaret iram & sponsi insidias metuens, fugam, ut lateat, arripuit, sed latere CLARA non potuit, infecuti mox, Regis Patris Imperio, nobis

les aliqui, cum fugitantis insisterent vesti-
giis, attoniti videre, flumen oppositum, ad
fugitivæ accessum, dividi in partes, & vi-
am facere sicco alveo transeuntis. Non po-
tuit, tanto audito miraculo, pater non ce-
dere filiæ, cui ipse censissent aquæ. Ita Re-
gia Virgo, etiam favente parente, libera,
S. Dominici amplexa institutum, annis
quingenta sanctè vixit, jejuna propè sem-
per, cum non nisi Dominica die herbis &
fontanâ pasceretur; cœlesti tamen liquore
divinitus quandoque recreata: quò torren-
tem voluptatis æternæ prælibaret. *Arturus à*
Monasterio in S. Gyneco.

MEDITATIO,

De Custodia Virginitatis.

1. **S** Clara fugiendo evasit, ut Virgo permaneret.
S Virginitas thesaurus est in fragili corpore, ideo
cautè ambulandum, & ne incidamus in prædatrices
concupiscentias, longè fugiendum est. Audi S. Hiero-
nymum Epist. 47. *Quid tibi necesse est in ea versari do-
mo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere:
qui juxta viperam securos somnos traxit, qua etsi non per-
cutiat, certè sollicitat? Securius est, perire non posse, quàm
juxta periculum non periisse.*

2. Fuga S. Claræ miraculo illustrata est, aquarum
alveo sese dividente. In periculis peccati constitutis
citra culpam suam, libenter gratiam impendit Deus,

si modò cum fiducia & ardente oratione impleretur,
*Securus transcendendo, quando ille me sub se tenet, qui est
 super omnia.* S. Aug: in ps. 6.

3. S. Clara Virgo annis quinquaginta sanctè vixit;
 jejuna propè semper. *Semper virtuti cibus jejunium fuit.*
De abstinentia quoque prodeunt casta cogitationes, ratio-
nabiles virtutes, salubria consilia, & per voluntarias af-
fectiones caro concupiscentiis moritur, & spiritus invocatur. Leo Papa de jejunio decimi mensis,

S. UDALRICUS Episcopus.

4. Julii.

Juvenilia desideria fuge, sectare ve-
rò Iustitiam, Fidem, Spem & Cha-
ritatem, & pacem cum iis qui in-
vocant Dominum de Corde puro.

2. Tim. 2.

Multum ætas tenera nutricibus debet,
 quæ lac dederunt; plus illis, quæ pie-
 tatem instillârunt. Ipse è cœlo UDALRICUS
 adstipulabitur. Hunc puerum Wiborada
 sanctissima Virgo leviculè fortè cinctum,
 castiore de lino cingulo donavit, jussitque
 primò, liberioribus sermonibus nec lin-
 guam daret nec aurè; mollem cupidinem
 cilicio